

Ad Eruditissimum
DN. JOHANNEM HUNTEMANNUM,
commensalem honoratissimum publicè
de ANGELIS
perorantem.

Alle expetendus est Viro solers labos,
Aut deferendum laudis & fama bonum.
Tentanda quippe est, qua Te humo tollas, via, &
Victor Virtum per ora per vagarier
Possis. Bonam gratamur HUNTMANNO, modò,
Mentem conatusq; optimos, dum differit
Cœlestem, turmarum Ordines, Vires, Decus
Custodiam; magis Dei clementiam,
Cui scivit omnis Spiritus; quem Principem
Regemq; maximum Cherubim supplici,
Facie colunt, Venerantur, atq; adorant; cui
Et supplices Seraphim sunt, Non desine
Re altius per Gloriam potentia
HUNTMANNE, veram sic Tibi famam paras,
Ipsusq; Nominis boni non Angelus
Eris Malus. Laudem LABORI spondeo.

M. Gregorius Michaël.

LAurus erit, doctum quo cinget tempora Apollo,
Et Tua quo cinget tempora Laurus erit;
Sic Tuam virtus meruit, notissima Varo
Perge! Deus studium prosperitate beet.

Doctiss. Dn. Commensali, de Angelis
peroranti deprop.

Johann. Kellerhaus, Lipp. Westph.

FINIS.



77111
SCRIPTUM PUBLICUM
PROPOSITUM IN ILLUSTRIS
BETHANEO,

Cum Instit. Imperialium Justin.
Recensionem indiceret

PETRUS POLENIUS
U. J. D. & P. P.

mens. Januar. 618.

Pro captu Discipulis habent sua Fata labores.




BETHANIE, AD ODERAM

TTPIS JOHANNIS DÖRFFER.

SCRIPTUM IN
PROLOGO IN
RETRATO
Cursus
Petrus
L. D. C. P.
In capite
Dicens habere in face



426415
WROCEAVR



Lecturis Sal.

Elementarium nostrum Institutio-
num, cujus, DEO propitio, repetitionem pro-
pediem exorsuri sumus, libellum, non proleta-
rium illum, aut vulgare; sed Imperatorium (ita enim
insigniri nomine dignatus sacro Justinian. voluit) Im-
periali sanctione provulgatum, auctoritate munitum,
plus sanè in recessu continere, quam fronte promit-
tat, ex ipsa recensione adeò manifestum futurum est;
Ut, Sicut piaculate credi meruit, num Sol luceat,
num Luna? num Ignis urat? quærere: Ita num quæ
Utilitas ex ipsius relectione ad discentem redundatu-
ra sit? temerè dubitare. Cujus rei quidem elucida-
tionem qualem-qualem, dum suscipimus, cum ani-
mum ad altiora non satis obfirmatum fluctuare sapi-
us, aut primo ingressu à laudabili instituto absterreri
contingere facile potuit; ut difficultati huic sub pri-
mordia ipsa obviam quodam modo eatur; Duo ferè eo-
rum fore genera opinabimur, qui primæ L.L. Juven-
tuti aut remoram iniicere, aut cæpto totam avocare
maximè meruerunt. Unum illorum facientes, qui
Jura primùm accepturi; illorum alterum, qui eadem
tradituri sunt. Ab ovo rem exigentes, Frigidi, dubiū,
an vecordes dicendi sint, qui animos Scientiæ huic ap-
plicaturi libelli quidem eximiâ brevitate, rerumque
ubertate se invitari; Commentariorum autem, sine
quibus intelligi nequeat, operosâ mole rursus averti
specioso herclè ludibrio indignè profitentur. Quibus

A 2 incom-

incommodant non minus deinde illi, qui Jurium seri-
riem ipsi traditari exilitatem, exiguitatem, libelli ja-
ctitantes, quæ Juventuti commendare plurimum de-
bebant, & inculcare, è manibus magis excutiunt, hoc
ipso sibi contrarii, dum, quod operantur, ipsi exinan-
unt. Sine Doctore enim, sine Interprete legi posse, (an
intelligi, id *κενὸν μὲν* est) asserentes, egregium ope-
rarum suarum encomium audire non injuriâ meren-
tur istud, ut *illa quod adificet, destruat illa manus*. Utriq;
sanè vitio suo non leviter reprehendendi, quod iidem
non ingrati tantum: sed nō tam Imperatori ipsi, quàm
sibi, imò Cupidæ LL. juventuti enormiter invenian-
tur injuriosi: Illi quidem, quod aut brevitatis angustia-
m obtendentes, aut leviculâ moti operositate à tam
laudabili instituto, tam sacro sublimique studio mise-
rè avelli se, avocariq; patientur: Hi verò, quod rem
non adeò vilem, imò indagatone solertiori satis am-
plam & diffusam tam jejuno mactent encomio. Falsi
utriq; , eoq; errore facundiores, quò inter extremi-
tates istas à regiâ Veritatis viâ deflectentes incauti
deviant maximè. Qui namq; ob brevitatis labem Epi-
tomen hanc *εἰσαγωγὴν* aspernantur ac vellicant, mi-
seratione magis & veniâ, quàm asperiori redargutio-
ne digni sunt. Adeò manifestè, in ipso, quod dicitur,
impingunt limine, ut nihil supra. Duplici verò nomi-
ne suspectam ipsis timeri brevitatem necessum est.
Ut aut obscuriora illis videantur, quæ summaria ex-
positione in Elementariis hisce præceptionibus con-
cisius traduntur, Lyrici etiam suffragio, qui *dum brevis*
ait, *esse laboro, obscurus fio*; aut quasi in perfectione la-
borer, cum proluxa adeò scientia & voraginosâ angu-
stiorib. ejusmodi præceptionum carceribus concludi
difficult ex

difficulus potuerit. Ut ut sit, eò minus ominosa illis
videri brevitatis debet, quò generalitas illa præcepto-
rum uberiores in sese complectitur rerum specialio-
rum inquisitione indagandarum cognoscendarumq; se-
riem, imò *πρωτοειδία* & prægustum intimioris pru-
dentia promittit & exhibet. Illa nempe generalium
vis est & efficacia, ut eorum subsidio quasi levato ve-
lo in abdita singulorum penetremus. Ut frustra operis
concipimus, aut ædificii structuram, frustra desuda-
mus, nisi materialibus ad exstructionem necessariis
abundè conquisitis. Ita operam perdimus, oleumve,
nisi animum altiora anhelantem præviâ generaliori
rerum cognitione serenantes quasi instruamus. Æta-
tem non fert infans, nisi lactis nutrimento robo-
ratus; nec Tyro succrescet, aut rudior, quem mi-
tiori vocabulo, cruditate rei vocabuli hone-
state contegens, Justinianeum novum Imperator
appellat, Cupondius, nisi præliminari libelli hujus
informatione, ingestione, admodum innutritus. Nec
aliò fine conscribi jussisse brevioris hanc Institutio-
num Synopsis ipse Imp. pluribus in locis contestatur,
nisi *ut juventutis animus simplicib. enutritus, ad altioris
prudentia scientiâ facilius redigatur. Est enim, ait Quintil.
suavità studiis infantia, & corporum mox fortissimorum.
Educatio à lacte cujusq; initium ducit. Sic prima Legum ele-
menta, fundamenta, argumenta, cunabula indigetat; Sic
εἰσαγωγὴν, Compendium &c. non alio sanè sensu, quam,
ut diffusum hoc Legalis prudentia stadium decurre-
re & emetiri neminem posse, nisi libelli hujus com-
pendio, apertè premonstraret. Numquã Theseus tor-
tuosis Labyrinthi meatibus, nisi Ariadna filum sub-
ministrasset, esset eluctatus: numquam emerget, aut
metam*

metam collimabit, nisi qui auspicali hac manu ductio-
ne scopum terminumq; foeneratur. Imò *ut
surdum audit, loquiturq; nihil sine voce, volatq;
absq; ope pennarū, & graditur sine cruribus ullis*, ut Poëta
canit. Sic nusquā progreditur, qui infantili incessu
ambulās scipione hoc quasi fulcro nō sustentatur. Nec
otiosa esse libelli attributa ab Imp. ipso celebrata, luce
omni clarius esse, nemo diffitetur. Uti n. elementorū,
*vitali qui pascitur aurā, carere usu nemo potest, ut ne-
mo ædificat, nisi fundaminibus prudenter antea jactis:*
nemo ratiocinatur, nisi rerum ipsis, ut Imp. loquitur,
argumentis affatim instructus; nemo vi sua insurgit,
nisi primis egressus cunabulis: Ita absq; his principiis
elementaribus, fundamentis, rerum argumentis, di-
gnū nihil, nihil utile sperabitur, nec exsolvi ruditatis
involucro licuerit; nisi cunabulis istis longo jam in-
tervallo relictis. A quā Imperatoris sententiā non in-
ficetē abludit Azo in proœmio hīc, dum præceptiones
istas *Lac juris* vocat puerorum *quasi modo genitorum*,
eodē sanē sensu, addito consilio, ut *sine Institutionum
doctrinis ad Legum sublimitates conscendere nemo præsu-
mat, quod irremediabiliter, ita loquitur, corruat, qui vola-
re sat agat, antequam pennas induat:* Ad infelicis illius
procul dubio imitatoris casum intendens digitum,
qui parentis vestigia non æquē legens, nec monita ser-
vans, *cæliq; cupidine tactus*

*altius egit iter, Et rapidi ut vicinia solis
mollit odor atas pennarum vincula ceras,*

Icarus Icarias nomine fecit aquas.

In viam revertendo frustra hīc brevitatis indeq; ob-
scuritatis oriturē nobis occentatur querimonia. Ut ut
enim angustior appareat, molis exiguitatem rerum
pensat

pensat abundantia; dilucidē præterea, oratione inte-
gra, purā, eleganti, ordine etiam satis concinno
(quamvis alij aliter sentiant, quod aliās monituri su-
mus) Juris primordia hīc traduntur, ut leviori via (ita
enim Imp. efformari voluit) *sine ullo labore, sine ullā dif-
fidentia* ad maturam satis notitiam deduci invitariq;
possit, qui modò non planē bardus, barbarusve acces-
sit & *auso*: Ut nihil inveniatur ad eò hispidum, in-
forme, asperum, quòd senticeti vepretive instar cave-
ri, timeri, juvenilemq; animum à saluberrimo Lega-
litate studio temerè revocare debeat. Imperfectionis
qui arguunt, à veri tramite, Imperatoris item consilio
absunt alienissimi. Id eò enim *εισαγωγής* mediocris seu
compendij nomine celebratur, ut *qui majorem doctri-
nam portare non possint*, compendiosā hac manu ductio-
ne in altum proveherentur. Meminerint ipsius Imp.
effatū præm. *hic. Nihil inutile, nihil perperam positum;*
*sed quòd in ipsis rerum obtineat argumentis tantūm inveni-
ri.* Et herculè contrarius sibi foret Imp. si ultra Intro-
ductionis modum præcepta extendisset. Satius fuit
summo digito Tyronibus, quæ adultioribus ætate &
usu quodammodo jam confirmatis è latioribus Dige-
storum seu Pandectarum libris ceu fontibus uberiori-
bus haurienda essent, ostendisse. Et *Generalia ista, que
grossis maximè*, ut Dd. est Brocardicum, quales Tyro-
num sunt, *non subtilibus concludunt ingeniis*, vel gut-
tatim instillasse sufficit. Nec obruendus temerè pri-
mus ingeniorum fervor, *aut varietate rerum, aut multi-
tudine*, ne ad desperationem adacti juvenes, *postquam
fervere ceperunt primordia*, ut vulgatum habet, *ultima
frigeant. Angusti Vasa orificij*, ait Quintilianus, *super-
fusam humoris copiam respuunt, sensim si instilles, recipiunt.*
Et

Erlargiamur affatim, deesse nonnulla, quæ in libello nostro desiderentur; An abjicienda propterea tam salutaris prudentiæ præcognita? tam amica *περὶ πειρασμῶν*? minimè Gentiū. Ubi invaluit animus, ac *jam jam humeri non ferre recusant majus onus*, profundiora Pandectarum veterum maria degustare quid vetat? Tanta ibi rerum variarum copia, tanta farrago, tam ampla controversiarum seges, imò Jctorum veterum disceptationes arduæ & frequentes, ut altiorū appetens animus, ubi levioribus & simplicioribus benè percoctus exstitit, abundè depasci ibi, non ad voluptatem & delectationem tantum, sed & saturitatem possit. Ea hic vorago est, ea prolixitas, ut quò altius immergatis, profundius hæreas. Supplendæ inde, si quæ appetentiori apparent lacunæ, quærenda perfectio, quam primordia isthæc ubere fructu pollicentur. Qui commentariorū deinde prolixitatem, copiam, fastidiosè, leviculā sanè, si modus adhibeatur, remoram formidantes, aut planè à studio abstinent, aut viæ jam medio decursu iniquè deficiunt; longè, meo judicio, prioribus habendi infeliciores. Quamvis etenim hodie, seculo nostro ingeniorum feracissimo, ita ferè comparatum sit, ut Commentariorum, Explanationum, Notarum (& quæ similia sunt Inscriptionū aut Titulorum ludibria) effusa verbositate ingenia onerentur magis, quàm informentur: Ita, ut non ineptè

quod quæ sint scribi gloria, damna legi,
ætas nostra, & verè conqueri possit: Non eousque tamen hæc obstare credendum est, ut ad altiora natum generosiorum animum in ceptâ operæ laudabilioris telâ morari, minus absterrere mereantur. Qui enim ex incidenti tumultuosæ scriptiois abusus interve-

nit,

nit, tanti momenti numquam existimandus, ut essentialis causæ curam & indagacionem facilè intervertat. *Est modus in rebus*, quo si profusiora Commentariorum pulpita, ut fercula opimiora pipere macerantur, mitiges, reliqui nihil futurum est, de quo ob prolixitatem tantopere conqueraris. Neclibrorum farragine nimium onerandi semper plutei, meliores eligendi & doctiores, non qui delectent tantum, sed qui erudiant, & prosint. Ac justâ sanè acrimoniâ invehitur in illos Seneca, qui *in spectaculum magis, quàm studium, studiosâ luxuriâ, sumptuoso impendio libros comparant, veniâ digni si studiorū nimiâ cupidine prodigalitas ista oriretur. Delectus ergo habendus: Et quia onerat discentem turba, non instruit, ut paucis satius sit tradere auctoribus, quàm errare per multos*, ejusdem est fato Senecæ, *multa legi non conveniunt; sed multum!* Salubri Aristippi etiam suffragante monito, qui, *Ut non inquit, qui plurimū comedunt & exercentur, melius valent ijs, qui modicè; Ita non qui plurima legerint, sed qui utilissima, docti censendi & studiosi.* Quod si librorum cuiquam non vulgaris obvenit possessio, nauseare ad illam opus non est, Imò apparatus isthoc tam prodigo prudenter uti & modicè, nec laboriosum futurū est, nec in jucundum. *ἔργον κτῆμα τῶν βιβλίων, ἀλλὰ χρῆμα ἐλάττωρον ποιεῖ.* Apum instar potius

*quæ gnavo instantes operi liquentia mella
stipant, & dulci distendunt nectare cellas,*
quæ pulcra, utilia, necessaria solerti studio delibanda, inq; succū sanguinem vè, *ut unū quasi quoddā fiat è multis, sicut unus numerus sit ex singulis*, avidè transfundēda sunt. Ut inde appareat suffragiū non mereri illos, qui commentariorū luxuriâ ignaviæ obtendētes desidæ

B

suæ

sua infame quærunt velamen & operculum: Industrie encomio digniores illi, qui Doctorum varietate quasi fatellitio stipati, & ruditatis suæ inveniunt exsilium, & intelligentiæ medicinam. Nec levius prioribus istis peccant extremi illi, qui vanâ sapè scientiæ persuasione non leviter fascinati Docentes, vilitatē libelli adeo arroganter exponunt & prostituunt, q. legi idem, intelligive absq; Ductoris Doctorisq; & omni librorum ministerio satis possit; cujus tamen contrarium adeo manifestè patet, ut excutire credatur aprico Sole, qui non advertat. Præterquam enim, quod plurima occurrant, quæ linguâ calamovè, hoc est, Interprete & libris opus habere extra controversiâ sit, cui, rei notare exēpla, & vestigia aliàs fortasse se proderet occasio; Unū illud masculè illos redarguit, quod libellum adeo plerumque omnibus & intelligibilem, Notis suis, Animadversionibus &c. commaculant miserè conspurcantq; minus ut illustrent. Facem qui accendit Soli, lucis nihil confert; majus lumen ad se raptat minus, obcuratq;: Idem hic: An ergò tantæ luciditati, ut jactitant, ipsorum solertiâ quicquam accrescet? vix puto. Inumbantur ipsorum labores, ut Sole vel die adveniente, lychni luminisve usus exstinguitur. Castiganda igitur illorū audacia, nec ex eorundē ingenio, qui, ut altiora scire videantur, & intelligentiâ omni se superiores judicent, primordia hæc ut inania, contemnunt & abijciunt. Imò potius è Juventutis, cui libellū faventer nunc consecramus, usu & commodo res omnis æstimanda est. Quæ quidem omnia, cum verè ita sese habeant, nihilq; adeo, repagulis hisce rejectis, studia discantium infeliciter remorari quod possit, reliquum reperiri putandum sit, Agite, adolescentes optimi, alacres vos
in

in scenam nunc primùm sistite, summâ ope, vigili studio monita Imperialia strenui exsequimini, *digni tanto honore, tantâq; reperti felicitate, ut & initium vobis, & finis Legum eruditionis à voce Principali procedat.* Accipite has, inquam, Leges, & vosmetipsos sic eruditos ostendite, ut Spes vos pulcherrima foveat, *toto legitimo opere perfecto, posse etiam rempublicam olim nostram in partibus ejus vobis credendis rectè gubernari.* Quandoquidem verò duplici fine ab Imp. congestas esse Institutt. meminisse convenit, *Uno, ut erudiat, altero, ut perficiat;* primum nunc solum insequuti, ad alterum viam præstruendo quasi muniamus. Præmissâ enim Universali rerum *συμπλοκῆ* & præceptorū, quibus ad futuram causarum forensium disceptationem rudiores juvenum animi præformantur, congerie, qui finis Imperatori, ut ex præmissis patet, unice propositus est, facile alterum, qui Jctorum proprius & Universali Juris cognitioni communis, citius assequemur. Deprehendemus enim veterum JCorum disputationibus, monumentis, & universâ Juris historiâ instructi, quid foro, actionib., universæ Reip. administrationi utile, litiū adversitatibus, & tumultuosis contentionum fraudibus diluendis necessarium dici unquam excogitariq; possit. Nempè & Naturâ ita comparatum est, ut necessum sit hæere in animis eorum, qui de re quapiam dicturi, acturi sunt, primos quosdam, quibus, id quod agant, intelligant, conceptus, quædam, quibus ad judicandum instruantur, præcognita: Naturæ ergò temeratores habendi, qui docere, agere præsumunt, antequam rerum aliquâ, & salubri earundem cognitione fuerint præmuniti. Quod advertit proculdubio ipse Imp. qui (dubitare piaculum esto) non sine gravi consilio, & sollicitâ
licitâ

licità provehendæ Jurisprudentiæ deliberatione, *Naturâ prius, deinde linguâ eruditum quem fieri oportere,* saluberrimè indixit. Cujus inconsiderantiæ meritò ne arguamur, nevé refragemur æquissimo, quod iustus instar ob sanctitatem esse nobis consuevit, consilio, eò progredi sedulò allaborabimus, ut primordiis initiatis firmioribus in sanum Justitiæ Jurisque scientiæ augustum sanum non ingredi tantùm nobis liceat, sed habitare, operosiorē prudentiæ Legalis cognitionē indices bibituris. Eiusdem sanè viæ cum ab Illustri & Generoso Dn. Dn. GEORGIO à SCHÖNAICH Sac. Cæs. Majest. Consiliario & c. in noviter liberali cōsilio manuq; adornati, & omnium artium Professoribus luculenter auctorati Gymnasii Bethaniensis theatri synedrio legitimè accitum Ductorem me *μεροδωμω* hac chartâ publicè nunc profitear, residui nihil, nisi ut telam, cuius *διπτέλεσμα* generosâ mihi Illustris Instauratoris fiduciâ commissum, bono-augurio texere propediem ordiar, aggrediar. Quod ut fiat vestro cum bono, & profectibus, Gymnasii etiam surgentis non levi cum incremento, utrinq; Deus instantibus nobis votis unicè exorandus est. Cæterum, quâ usurus sim methodo, quâ orbitâ ingressurus, præviâ *προληγομερίαν* farragine indicabo. Quod item prælectionum nostrarum futurum sit exordium, præfixâ schedulâ publicè propediem exstabit. Prævertet autem prælectionum cursum auspicalis ad diem Jovis proximum, Oratio: quam audire ne declinetis Univerf. ordinis literarii Cives honoratissimi, amicè vovemus, cupimus. B. V.



Indicium

Profefsionis Theologicæ, XXIV
IN ILLUSTRISCHÖN-
AICHIANO DUCTU AC
auspicio Dei opt. Max.

à
GEORGIO VECHNERO
Freist. Sil. susceptæ & in-
ceptæ, publico datum.

Ad VI. Id. Jan.

Anni M. DC. XVII



BETHANIÆ AD ODERAM,

Typis Johannis Dörfferi.